


22

19

AVREVS TRIONIS.
SARMATICI TRIPOS.

Trium ornatiſsimorum Dominorum:

R. Dn̄i MARTINI NIEDZIALKOWIECZ VARSAVIENSIS.

V. D. IACOBI CZERSKI VARSAV.

V. D. ALBERTI NOWIEYSKI.

DVM

Secundā in Artibus & Philoſoph. Daphnen ſuſciperent in auguratione Licentiaturæ.

IN

Nobiliſſimo Poloniarum Athenæo Craciadum nuper fauente & monſtrante Neptuno IAGELLONIANO fœliciſſimè

A

LVDOVICO CHRISTOPH: MILLERO GLOGOV: eiuſdem ſecundæ Laureæ Candidato.

INVENTVS.

Anno à Deo in carne viſo 1638. Menſe Aprili,

Die ___ Hora ___

VENERABILIBVS DD.

MARTINO NIEDZIAŁKOWICZ, IACOBO CZERSKI, ALBERTO NOWIEYSKI,

Amicis meis Singularibus:

Verum amorem & plurimam Salutem.

IONICOS quosdam primae lanuginis homines in aequore Coo aureum stupendae speciositatis pretijq; inaestimabilis, Tripodem, solo sapientissimo dignum, inuenisse à Poetis gentilitatis Theologis didicimus V. V. D. D. Fabula, an verius dixero, ingeniosum sit hoc mendacium, nolo hic iudicium Paridis desiderari: Alium nuper ego longè nobiliorem in Augustissimò Sarmatico literarum emporio Tripodem inueni. Hunc meus vbi vidit Helicon hoc nobile soloq; Ioue dignum opus Oraculò sententiam ferente, vobis dari suasit; vos equidem hoc Tripodis nomine insigniri mea gaudet Musa, quos Neptunus Iagellonianus nuper hamo examinis sui satis austeri è profundissima maris Philosophici abysso subleuauit, haec porrò praeclara in hodierno honoris theatro, laboribus vestris erigit trophaea mater Academia. Mehercule bonum factum, dulce solatium vestrum, nemo est qui non votiuo Anathemate has laborum vestrorum plenat

Man-

mas Mantinæi ſari orbitas, Phylim lemniſcatas liberaliter decantet. Quocirca nefas eſſe duxi, honorem veſtrum, quem vobis non nemo precatur, obſcuro præterire ſilentio. Spero vos hanc meam exiguam opellam ſereno vultu & grato animo ſuſcepturos, in qua ſi quis fortaſſe næuus occurrerit, tu amice Lector, veniam vt indulgeas benignè obteſtor. Indubiè ſæpius peccaturus, quippe qui homo & adhuc iuuenis. Nam vt in gemmis & lapidibus ſæpè næui, nec proinde omnino viles; ita in hac opella næui forſitan non pauci, qui tamen totam minimè deturpant. Benè olim Naſo, qui aiebat decentiorem eſſe faciem, in qua aliquis næuus. Cæterùm placebo tibi, ſi me culpam emendare permiſeris. Pompeius cui ex virtute cognomentū Magni acceſſerat cùm theatrum, arcem turpitudinum exſtruxiſſet, veritus memoriæ ſuæ cenſoriam animaduerſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit: ita ego ampliſſimi honoris veſtri hodierni titulo opellam hanc leuem indignam fors tanto ſplendore prætexui, vos verò patiamini exiles quaſdam ſtricturas veſtræ lucis hoc amoris Symbolum illuminare. Quare ne multa ſit oratio mea, laborem tenuem & exiguum offero veri legitimiq́; muneris obſidem, quod meæ quidem temeritati haud recuſo accedere; tamen ſi non prorſus faſtidiatis votiuam hanc tabellam nominis veſtri templo dicatam, in cælum abire videor. Sic feſtino amate, fauete, & florete.

Dn̄ationibus Veſtris addictiſſimus

Ludouicus Chriſtoph: Millerus Glogouieñ.

Reuerendo Domino

MARTINO NIEDZIALKOWIC Varsau.

QVum Dea obortæ prodroma lucis
Hypani lotas torsit in altum
Lutea bigas ortu aspergens
Dumeta nouo, circum Craci
Compita montis: quum Thessalico
Sarmata Titan euectus equo
Celsas vrbis iubare illustri
Tetigit turres, peperitq; diem;
Diem excubitor geminans ales
Cecinit luces reduces aperto
Tempore mensis duxit Apriles
Dicatas Veneri, subitoq; cessit
Hinc lumini sydus amicum
Cymbala pulsans ære sonoro
Omne genus faustæ ad castra mouit
Alcmenæ, Dictæiq; Iouis:
Iam, iam ardenti Martius æstu
Ruri elusus parcit, & agro
Hæret Procyon præuius árdor:
Aiens: Bosphoricæ sobolis messem
Mirata est calido Hippodromum curru
Quâ spe valuit tentare! auidæ
Interim post alitis hanc vocem;
Mox turmæ consedere iugis
Pieridum queîs impediunt
Tempora frondes densante choro.
Aurora soror sociam se addit
Cui fronte decus clarũ purpurat.

Scilicet

Scilicet insignis Iagelonis
Jacet qua prædulcis genitrix
Easdem inter spei patruæ
Quæ alto residet GLORIA Cliuo
MARTINI benè pro meritis votis
GLORIA certæ conscia sortis
De patruo quæ prodijt ortu
Moribus cultæ Dryades Cytisum
Montiuagæ, cui lac tepidum capræ
Contulerunt, ac munus Oreades
GLORIA magnarum assecla dotum
Hæc alijs sic vna silentibus
Barbita Lesboum quatiens fert.
Non cælos, non ludo Lybin, nec opes
Diuitum, haud in cælicolas do
Mota superbis bella Gygantibus
Thule tuas non approbo vires
MARTINE gradum glomera, requiro,
TE LAVS nostræ grata palæstræ
Illa ego placidum quæ Rheæ viridi
Gramine ad ampli fluminis alueum,
Te genui molli thalamo ortum
Qua vagus arctis Vistula fontibus
Serpit anhelis peruius vndis
Carpatheas linquens secat obuios
Varsaidum muros: iuga Mexici
Gerijonas hinc centimanum Lycam
Illinc Antæum lemma, iuuat
Vicisse ac iam cessare lubet
Pectora longis languida studijs
Viridante super fronde reponens

Mentis

Mentis iniquæ fas maciem sit
Laqueare, leuem proijce ventis
Aurea primis Messis honoribus
Vna stat vno LAVRVS honori
Acriter acri nexa sub æstu
Palladis; in agris postquàm Samys
Diuite cornu Phæbus aduret
Æthera thensis, maior aristis
GLORIA succrescet meritis tuis.
Nunc te contentum Mænalius
Pan nec nobis gracilis Pales
Inuideat, quem Phæbus adornat,
Qui modo Daphni cinctus adest comam,
Hac frui faustè properat; patruos
Lætior vt post sæpius exigas
Frondis amœnæ lætus honores
Virides mitras. Diadema Sophûm,
Quem non longæ pretiosa moræ
Tædia vincunt non sollicito
Frustra madidæ sudore genæ,
Non torpor iners, felix capito:
Carolus ignotum reputans, re-
Cludere mundum, palmiferam tibi
Lauriger palmam, minimè cupido
Inuidet, omni hanc fine beatus
Nactus Io, Io, triumpha.

Venerabili Domino,

IACOBO CZERSKI Varsauien.

QVem sub conspicuo sydere Cynthius
Irrorauit amans matris ab vbere,

Et cui

Et cui Iuppiter ortu
Felici ingenium dedit.
Præstans C Z E R S C E tuis facte Penatibus
Quidam dulcis honos non nec amabilis
Quo iam lætior orto
Stabit Varsaua amænior.
Cùm currunt tibi tot sydera legibus
Inter Sarmaticos cum renites viros
Non postremns agrestes
Constans moribus Æmuli.
Hac si lætus ades carpere lampadam
Doctrinæ, in taci is collibus auream;
Quà nunc carpis iter, sis
Præsto sedulus assecla.
Corpus tendit agens pinus in aera
Crescendo Zephyri cui qnatiunt comas,
Tum celata tenello
Crescit littera cortice.
Nexam fronde comam de Iouis arbore
Gratæ auræ feriunt, hanc Erato tibi
Cum confert cape gratum
Nostri munus aiens chori,
Nostrum munus habe, quod prius Orpheo
Hoc ipso dedimus Pierides loco
Hoc non sperne, capesse, at
Tanget fama Deos tua,
Postquam mobilibus tempora sæculis
Inscripto repetent lemmate viuida
Venturæ acta senectæ
Laus ducta ibit ad æthera.
Imo! hic interea laus venit, vt scias
Quam te (dum sed ades) gaudeat hospite,

Nostros

Nostros ante oculos te
Lætum postera detinet.
Quis non encomio gratus ad exitum
Virtutis modulandæ obuius iuerit
Quæ paucis datur, alto
Substans ardua culmine?
An ætate minor, maior an imperet
Laus? an laude minor, maior an inuida
Ætas, gaudet vtrisq;
Victrix Laus in honoribus:
Non ætas superat flore, reconditam
Laudem, sed viridem proxima laus suis
Ætatem præit actis
Famam pandere posteris
Hæc sunt nempe pater symbola gloriæ
Quæ pridem vegeti munere filius
Sub Phrixi remeauit
Metâ Iasonis aspera,
Hunc post Æsonidem tanta stipendia
Nitentur patriæ semper ad altius.
Imperterrita cliuo
Solamen decus auctius.
Has tu posteritas laudis adoreas
Veras diuitias suscipe, GLORIA.
Has ducat super annos
Cerui longa superstites.

Venerabili Domino

ALBERTO NOWIEYSKI.

MOuete dulce gaudium
Blandis diem fas ducere

Est can-

Est cantibus, vos numina
Præclara Pythici chori,
Mouete dulce gaudium
Id uos decet iam gaudij
Omni pium Io dicere
Cætu pium Io gaudium.
Mouete dulce gaudium
Florum Deæ, Deæ cui
Daphnen suam Libetridæ
Nexere ferte gaudium.
Mouete dulce gaudium
Est huius in genis decor,
Est oribus tum Tulij
Amate dulcor aureus.
Mouete dulce gaudium
Loquela præstans moribus
Est mixta honestis debitę
Fauete Musæ GLORIæ.
Mouete dulce gaudium
Sermone vobis dulcior
Nobis sit hic iucundior
Viuat sibi facundior.
Facundus adde moribus
Nuptum quod est prioribus
Nomen, vehet te Castalis
Post vnda fido flumine
Florebit inde nomine
Honesta fama quam colis
Grato parentum in omine
Florebit & terræ, & polis,

Qui nectar ortę frondibus
Gustasti Olympi, GLORIAM
Laudata, virtus vt pio
Laudet labore pergito
Cultus sequax, qui barbito
Grauis manet recondito
Reconditus sub æthere
Te poscit æther, exige
Hoc viue nobis gaudio,
Viuas tibi hoc tum sæculo,
Mouete Musæ gaudium
Ei fluat nunc sæculum,
Mouete dulce gaudium
Blandis diem fas ducere
Est cantibus, vos numina
Præclara Pythici chori.



IN STEM-

IN STEMMA
ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



Quid sistrata tuam celebras ita turba Iuuencam,
Isin quid Phariam tollis ad astra tuam?
Vbera, quid numeras spumantes lacte papillas,
Ex quibus elabi commoda mille putas?
Fabula crede mihi est, Dea, quod tibi cuncta ministret
Largas muneribus quod tibi fundat opes:
Est Isis melior nostra hæc Jagelonia mater
Munificas & opes, nam duo sceptra docent.
Ergo Deam celebrare tuam pia desine Memphis
Ditior ista parens, hanc celebrato Deam.

Martinus Cyrus Sobolowski,
Iurisprud, Studiosus.

ÆNIGMA.

Garrula dicor auis si verbum in nomine spectes
Composito, blandus nomine fio canis.
Nascor verbosâ verborum in sorte malorum,
Dum canto, incusor: sin minus, inficior.
Proh miseram sortem! cui sunt commissa libelli
Scripta, nimis procax est cui lusca fides:
Scire velis, qui sim, me non inquire sinistra
Mente, aliâs fueris par mihi; scito canis;
Non tamen inuideo modo ne mihi nomen Achates,
Inuideas, & sim dentibus esca tuis.

IOANNES COLDRAS
Philosoph. & Eloqu. Stud.

Sub auspiciis Illustris & Admod: Reuereñ. D. Dñi MARTINI CAMPII VADOVII, Sacræ Theol. Doctoris & Professoris. S. Floriani Præpositi: nec non celeberrimæ Vniuersit: Cracouien. Vicecancellarii dignissimi.

e2

fl. – 3





